

set, ut librarii sua symbola toties mutarent, & aliud aliudque singulis fere libris imprimerent, si credidissent, talium signorum praesentiam lectores certiores facere posse, quinam huic, quinam alii artifici tribuendi codices sint. Adeo nempe varii & mutabiles erant eo tempore, ut signa, quae hodie mire placuerunt, brevi, quia nova esse desierant, spernerent, brevi iterum, quasi immerito contempta, in scenam producerent. Vbi nescio an quis SIMONIS COLINAEI inconstantiam hac in parte superaverit. Debueratis primum statim symbolum sibi Vertumni Proteive imaginem eligere, quem ille utique moribus suis referebat. Quoties autem* insigne mutaverit, recenset MAITTAIRIVS *Annal. typ. Tom. II. part. poster. pag. 396.* qui idem celeb. MAITTAIRE aliorum quoque typographorum, Parisiis viventium, variationes in librorum suorum insignibus conspicuas diligenter annotavit in opere erudito, atque apud nos rariori, quod *typographorum aliquot Parisiensium vitas & libros* complectitur, editum Londini MDCCXVII. 8vo.

Abstineo a recensione plurium exemplorum, his COLINAEI vestigiis insistentium. In probanda universali fere consuetudine quid opus est verbis? Accedat modo, qui haec penitus nosse cupit, accedat propius ad Bibliothecas, quae ejusmodi librorum, antiquitate sua se commendantium, collectiones servant. Veniat, videat & nobiscum consentiet. Nullam certe typographi, libros suos signaturi, legem sequebantur, sed pro solo lubitu heic agebant, modo retinebant vetera, modo nova apponebant insignia.

I 2

Non

* aliquod quo usus est signum exhibes scēt. VIII,